DISPUTATIO MEDICA 10

QUAEDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO CLARK.

PRAEFANDA.

Ea actio, qua spiritum trahimus et emittimus, inter VITALES jure recensetur; quippe qua languente, vitae flamma obscura langueat; abnormi, perturbetur; deleta, cito extinguatur. Nullum igitur malorum omnium, quibus pulmo opportunus est, non studio acerrimo medicorum dignissimum est. Omnibus vero praepollet inflammatio; saepe reliquorum genitrix, pede-

[1820]

que celerrimo salutem aut fatum aegrotantibus allatura. De qua, summos medicinae honores ambituro, mihi pauca disserere in animo est. Nullo morbo urgente, maturius agendum; tantum enim pulmo corporis valetudinem moderatur, ut intra spatium temporis exiguum, nisi medicus ope summa obnitatur, mors inopinato infelicem absumere possit. Quum demum inflammatio hujus visceris radices quasi alte corpori infixerit, quod sane ocyssime accidit, ea ipsa medicinae auxilia, quae principio ejus vim devicissent, inutiliter adhiberi solent.

Auctores hujus morbi *species* duas proposuerunt; nimirum, *PLEURITIDEM*, sive inflammationem *pleurae costalis*; et *PERIPNEUMONIAM*, sive inflammationem *pleurae* pulmoni ipsi circumjectae telaeque reticulatae ejusdem propriae. Quas *species* recte proponi denegamus: tam arcta enim necessitudine omnes membranae jam relatae invicem committuntur, ut inflammatio unam jam adorta, vix non levior graviorve ad alteram pertineat. Missa igitur ista argumenti distributione, in animo est quam

paucissimis de *pneumonia,* earum utramque complexa, conscribere.

DE SIGNIS.

Haec inflammatio, aliarum instar, ex febre incipere consuevit: membra scilicet inhorrescunt, et languent; pauloque postea summa cutis exardet, arteriaeque concitantur: interdum quoque gravedo, destillatio et vox rauca antecedunt. Subinde tamen, id quod usu comperi, nullis praenunciis signis, dolor alicubi pectoris accessit, et febris secuta est. Dolor, quandocunque superveniat, uni fere parti haeret, acutus et pungens; modo quidem hebetior sensu ponderis comitante, costae sextae vel septimae fere insidet, et aliquando inde ad os pectoris, claviculam aut scapulam fertur; nunquam non inter inspirandum exacerbatur. Quanto acutior sit, tanto minus vagatur, uni sedi, quasi puncto, infixus: hebetior contra in pulmonem fere

universum incumbere videtur; quo fit, ut dolor obtusus telam reticulatam hujus propriam inflammatam denunciare habeatur. Dolor vix manu premente exasperatur; at, aegro in latus affectum cubante, fit acerbior. Arteriae moventur crebrius, validius et durius quam fert natura; facies turget et rubescit: cutis ultra consuetudinem incalescit; lingua sorde fusca aut flava foedatur, et simul aret. Secernenda et excernenda parcius aegro secernuntur et excernuntur. Urina rufa est: sitis exercet: tussis assidua vexat, aliquamdiu sputo expers. Deinde, ni medicus summa ope his malis obnitatur, aeger in praecipiti esse coepit: spiritus summo labore trahitur et emittitur; imo vero aliquando non licet infelici, nisi erecto, anhelare; qui simul inter spirandum strepitum edit. Facies nunc insigniter tumet et saturrimo rubore floret; cutis magis calet, arteriaeque eo concitantur, ut centies et tricies, vel centies et quadragies quaque LX^MA horae parte saliant. Demum infelix delirare incipit; pauloque postea, facies et cervix

sudant: motus arteriarum languidi fiunt: aeger supinus cubat, et continenter ad imam lecti partem delabitur: artus tremunt: tendines digito imposito subsilire videntur: oculi patent: os hiat; *sphincteribus* solutis, urina et stercus animi injussu effluunt: tantaeque aerumnae morte exoptanda finiuntur.

Quanquam *pneumonia* longe frequentius notis jam descriptis denunciatur, alia tamen aliis esse potest, pro corporis indole, aetatis et causarum ratione, et quae sunt hujusmodi; quae hunc morbum haud parum moderantur et mutant. Si *scrophula* eodem implicato contingat, facit ut notae inflammationis lentae sint, paulatim et quasi per insidias obrepant; diutius trahant; et tandem in sputum puris desinant; aegerque tabe confectus absumatur. Lugendum est perraro morbum, quem persequor, *scrophulae* adjunctum inter initia medicum terrere. Cutis fere humet: motus arteriarum est imbecillus, celer et exilis: lingua madet sorde subcoerulea obducta: facies potius laete rubet, quam purpurascit: nec semper mutantur secernenda

et excernenda. Tussis principio acerba, sputique expers, editur: demum, malis inclinatis, pituita vel humor puri similis exscreari coepit. Interdum sputum cruentum est; modo extussiuntur naturae concretae, nimirum calculi.

Quantumcunque istae causae, aliaeve *pneumoniam* moderentur, sanguis detractus nunquam non superficiem exhibet corio similem, huic cum aliis inflammationibus communem.

Denique, corpus senio aliundeve labefactatum, quam plurimum hujus morbi speciem, eventum et curationem regit. Neque tamen angusti limites, quibus contineor, nec argumentum propositum, sinit aut postulat, ut partes singulas campi tam late patentis explorem.

DE FINIBUS.

Pneumonia, quanquam nunquam non aegro summum cruciatum afferat, et saepe mortem ipsam minitetur, medico tamen tempestive et acriter renitente, frequentius resolvi potest. Si quando fatem affert, hoc fere molitur cruor aut

latex in vesiculas spiritales profusus, et strangulaturus.

Resolutio denunciatur signis paulatim mitescentibus, motu arteriarum tardiori et molliori, vultu minus anxio, spiritu expeditiori, lingua madente, siti abeunte, pituita multa viscida et flava facile exscreata; urina copiosa, crassa, ex qua decidit rufum lateribus tritis simile; porro, sudore tepido et ubique aequali, nec raro alvo cita et biliosa. Hic felix eventus die circiter septimo, ullove die inter hunc et decimum quartum, expectandus. Quod si, resoluta inflammatione, spirandi difficultas haud penitus evanescat, *pleuras* praeter naturam cohaerere judicandum.

Suppuratio accidere solet inter diem sextum et duodecimum, nec periculo gravi vacat. Hanc accessisse docent dolor remissior aut nullus, gravitatis sensus, artus plus minusve inhorrescentes, respiratio potius difficilis quam doloris genitrix, et quaedam febris *hecticae* notae. Si abscessu vel *vomica*, quae vocatur, demum dirupto, pus in vesiculas spiritales profluit, sequi-

tur, ut homo modo derepente stranguletur, modo, pure extussito, revalescat. Interdum *vomica pleurae* pulmonis propriae contermina est: quo fit ut pus ex ea rupta in cavum pectoris confluat; quod mali genus *empyema* nominatur. Hoc subesse judicamus, si praeter *vomicae* notas, quae utrique sunt communes, humor in pectore exagitato fluctuare sentiatur; si aegro, nisi erecto, anhelare non liceat; si eidem in latus sanum cubanti mala omnia increscunt; si demum latus affectum quadam ex parte promineat; nosse juvat, quem haec signa opprimunt, eum admodum periclitari. Si cruor aut latex tenuis, eademve simul mista in vesiculas spiritales, aut pectoris cavum profundatur, omnes notae *hydrothoracis* propriae nascuntur, et infelix in praecipiti versatur. Pessimum omnium est, cruorem aut pituitam cruentam vesiculas ante dictas, animae scilicet meatum, opplere: quod insigniunt respiratio difficillima, languida, haud sine strepitu, labia coerulea, artus frigentes.

Aliquando, at perraro, morbus, quem persequor, GANGRAENA finitur. Hanc denunciant ea-

dem signa, quae aliae partes ea implicatae exhibent.

DE CAUSIS.

Causae abditae sunt corpus validum, quadratum, sanguine plenum, et aetas media, vel aliquanto provectior; scilicet, haec faciunt, ut aliquis opportunior sit; non quod *pneumonia* non saepe etiam debiles, graciles, et *struma* infectos male habet: qui corporis habitus, ut jam proposui, ejus speciem haud parum moderatur et mutat.

Causae evidentes sunt coeli mutationes subitaneae; aër, nempe, ex frigido et nubilo tepidus, vel ex tepido frigidus; quo fit ut ver et autumnus hanc inflammationem praesertim affectent. Huc accedunt molimina gravia musculorum, quibus spiritum trahimus et emittimus. Hinc vocitare, voce vel tibia canere, clare et diu legere, perquam nocet pulmoni, qui exinde haud

raro inflammatur. Quinetiam, irritantia omnigena cum anima in canales spiritales accepta, veluti, pulvis acer, quivis aër nocivus, *chlorinum*, *gas acidum muriaticum*, *ammonia*, *gas acidum sulphurosum*, *gas oxidum nitricum*, &c., inter causas excitantes sunt habenda. Cute porro subito deflorescente, si quis *rubeola*, *scarlatina*, aut *variola* aegrotaverit, haud raro illico pulmonis inflammatio accedit. Si calculi aut tubercula pulmoni inhaerent, id quod fere *struma* imbutis accidit, et deinde causae jam dictae adhibentur, inflammatio, *phthisin pulmonalem* genitura, accendi solet.

Causa continens *pneumoniae*, quae scilicet eam sublata tollit, illata infert, mutata mutat, est inflammatio *pleurae* costarum propriae, aut alterius pulmonis propriae, et telae hujus reticulatae, aut omnium earum. De variis autem rationibus, quas medici clare ediderunt, quarum ope signa inflammationis illustrent, silere malo quam inutiliter sermonem producere ; non dubitari potest, quin tenebrae adhuc inflammationis rationem obscurent. Illud solum nota-

bo, inflammatione partis acuta exercente, actionem suorum vasorum sedari, cordis vero et arteriarum grandiorum incitari.

DE DIAGNOSI.

Pneumonia haud parum simulat *pleurodynen*, *carditidem*, *gastritidem* et *hepatitidem*: quibus notis ab harum singulis dignoscatur, paucis ostendere nitar.

De pneumonia a pleurodyne discernenda. —Quem *pleurodyne* torquet, nimirum, *rheumatismus* pectoris musculis infestus, ei dolor non uni sedi infixus fibras musculorum permeat; manu opprimente, et motu exacerbatur. Contra, *pneumonia* aegrotanti dolor una continetur parte, neque hac oppressa intenditur. Illius est porro febrem leviorem ciere, tussim sputi expertem movere; interdum summam cutem parti dolenti proximam rubefacere; et subinde singultum et motum cordis abnormem excitare.

Denique, omnes notae ejusdem propriae, *rheumatismo* artus relinquente, accedere, invadente, conquiescere, solent.

De carditide a pneumonia discernenda.—Cui cordis membranae inflammantur, ei anima crebro deficit, cor arteriaeque saliunt non solummodo dure, verum etiam languide et imparibus intervallis: quinetiam facies expallescit, necnon singultus et angoris quaesitissimi sensus ad praecordia relatus, cruciant. Quibus perspectis, dubitare vix licebit.

Quomodo gastritis a pneumonia discernatur.—Inflammatio ventriculi dolore saevo, non tantum premente manu, sed quoque cibo potuque ingestis exasperato, viribus perquam solutis, delirio frequenter, motu arteriarum duro, exili et celeri, vomitu et singultu gravissimis, denuntiatur: nemo igitur rei medicae peritior, his signis in animo habitis, errare poterit.

De hepatitide et pneumonia invicem dignoscendis.—Cui subest jecinoris inflammatio, ei dolor *hypochondrio* dextro insidet, eodem presso increscit, aegro cubante in sanum latus

ingravescit, et ad claviculam humerumque dextrum ascendit. Contra, *pneumonico* laterum alterutrum dolet, dolor non tactu exacerbatur, nec ad humerum dextrum tendit, et homine in affectum latus jacente, augetur. Praeter haec, jecinore inflammato, tussis fere sputo vacua est, nec inspirando movetur aut intenditur; pulmone autem inflammato, inter spiritum trahendum, maximeque si aër frigidus sit et humidus, tussis semper acerbior fit. Denique, illius est crebro vomitum et singultum inferre; nonnunquam summam cutem rutilare: quibus signis morbus propositus caret.

DE RATIONE SIGNORUM.

Proximum est, ut graviorum notarum rationem patefaciam.

Dolor inspirando exacerbatur, quia inter inspirandum utraque *pleurarum* et tela pulmonis reticulata propria extenduntur.

Dolor pleuritide quam peripneumonia tortis acutior est, eo, quod *pleura* costis proxima nervis saturior est quam altera et ipse pulmo; ideoque inflammata sensu acutiori praedita est.

Dolor non premente manu ingravescit, quod costae et musculi inter eas positi non partes inflammatas opprimi sinunt.

Dolor acuitur, aegro in partem dolentem decumbente, quia, corpore ita posito, pulmo sanus alterum inflammatum gravat.

De spirandi difficultate.—Non solum ea actio, qua spiritus trahitur et emittitur, dolorem pulmone inflammato gignit, verum etiam ipsa gravis et difficilis fit; cavernae enim telae pulmonis reticulatae propriae lympha et cruore interdum oppletae vesiculas spiritales aëre probe distendi non sinunt. Hinc quoque *peripneumonia* plus quam *pleuritis* spiritum gravat.

De tussi.—Causae tussis duplicis sunt generis; scilicet, irritamenta aut membranae intimae canalium animae aut musculis, qui inter tussiendum moliuntur, (maximeque septo transverso,) admota. *Pneumonicis*, inter initia tussis aëre

accepto membranam jam dictam, pituita deficiente, sicciorem ideoque irritabiliorem exasperante, nascitur. Hinc tussis principio sputi expers est: malis inveteratis, tussis pituitae, latici tenui, cruori aut puri, istam membranam irritanti debetur; et exinde aliquid horum exscreat.

DE PROGNOSI.

Cui notae hujus inflammationis resolutione et membranis cohaerentibus finitae contingunt, is in spe bona habendus. Si quem vero signa hujus morbi ultra dies quatuordecim implicare perstent, nec idoneis medicinae auxiliis ministratis sedentur, scire licet, ei gravissimam inflammationem subesse, nec non eventum instare infelicem judicandum esse. Si inter principia dolor minus uni sedi inhaereat, lenior simul; si ore et animae meatu madidis, pituita multa extussiatur, nec sitis cruciet; sique inter haec

spiritus haud multum gravetur, inflammatio mitior et metus expers existimanda.

Quod si *typhus* cum proposito morbo societur; sive vires senio aliundeve fractae efficiant, ut potius *peripneumonia notha* quam ipsa *pneumonia* urgeat, istum aegrum valde periclitari constat. Cui *struma* infecto, gracili, adolescenti, pectore angusto instructo, pulmo inflammatur, is ne in *phthisin pulmonalem* incidat, metuendum. Si inclinatis malis nec lapsis viribus sanguis ex imi intestini venis aut ex naribus profluat, sudorve aut alvus cita accedat; sive homo multum pituitae vel cruentae ex facili exspuat; sive urina excernatur copiosa et crassa, nosse juvat valetudinem secundam esse redituram.

DE RATIONE MEDENDI.

Unum consilium exequendum hujus morbi curationem amplectitur: hoc vero est inflam-

mationem quam primum debellare. Hunc in finem oportebit venas quam citissime nec parce vacuefacere, cutem summam parti dolenti proximam exulcerare, alvum purgare, sputum et sudorem movere, aliisque uti sedando accommodatis. De quorum singulis quam brevissime disputandum.

De sanguinis missione.—Vena brachii incisa, hiatuque amplissimo facto, sanguinis unciae xvi, xx, xxv, ampliusve aut minus, prout ratio virium, aetatis, sexus, corporis indoles et signa postulent, eliciendae sunt: idemque iterum saepiusve fieri oporteat necne, perspectis signis judicamus. Jam satis sanguinis effluxisse constat, si homini citra dolorem exasperatum inspirare liceat; si arteriae mollius et tardius, nec simul admodum imbecilliter, se attollere et submittere incipiant, sique, spiritu expeditiori, aeger pituitam sine gravi molimine exscreare coepit. Sanguis non impune postea mittitur, quam notae jam propositae prodierint. Illud quoque memoria dignissimum opinor, certos esse fines, quos ultra hoc auxilii genus vires eo solvit, ut nulla arte opeve novari pos-

sint. Porro, sanguinis copiam exiguam celerrime eductam plus operae conferre ad inflammationem subigendam, quam duplo triplove ampliorem tardius elicitam; neque tamen exinde vires labefactari. Hujus rei documento sit animae defectio, longe frequentius illinc quam hinc oriunda. Nullus sane dubito, quin pulmonis inflammatio venis minus vacuefactis, quam apud hodiernos medicos, cedere possit, si hiatus scalpello factus patentior sanguinem citius effunderet. Non licet sanguinis missi naturae inniti, quo intelligamus recte an secus venas depleverimus, iterumve necne id fieri deceat: tunica enim corio similis, quae sanguinem obducere solet, nulla certa regitur lege. Denique, certissima documenta sanguinis jam nimii detracti sunt spirandi difficultas exacerbata, notis simul inflammationis fugatis, sputum perdifficile, et aqua pedum intercus: quas pessimas notas sequitur, ut hydrops pectoris aut profusio humoris in vesiculas spiritales lethum homini adsciscat. Haecce visum est de eo potenti remedio disserere; quippe quo omnium praecipuo freti *pneumonia*

aegris succurrere soleamus. Si signa venam brachii iterum secari non permittant, dolor autem saevire haud desinat, opus erit cucurbitulas cum ferramentis, aut hirudines proxime partem dolentem imponere.

De exulcerantibus.—Venis jam satis depletis, summa cutis circa os pectoris partemve dolentem emplastro *meloës vesicatorii* exulceranda: quo, humoribus ad exteriora conversis, pulmonis vasa intenta exonerentur. At vero expectandum est, dum alia remedia inflammationem sedaverint. Quod si *typhus* adsit, hoc genus auxilii nocebit.

Alvus purganda initio *submuriate hydrargyri* et radice *convolvulae jalapae;* deinde salibus mediis huc accommodatis: nec audiendi, qui alvum acrius solicitandam *pneumonia* tortis negant; pulmo enim satis intestino crasso distat, ut medicamina, quae humores ad hoc dirigant, illius vasa quodammodo vacuefaciant.

Sputi et sudoris moventibus postea utendum. Eadem remedia utrumque moliuntur; quicquid, scilicet, cutis halitum elicit, simul fa-

cit ut intima canalium animae membrana plus laticis excernat. *Vini* igitur *tartratis antimonii* guttae xx aut xxv sumendae, *aqua acetatis ammoniae* vel pauxillum *aceti scillae maritimae*. Inhalandus porro vapor aqua fervida ortus : acriora vero e sputi moventibus evitari debebunt. Multum proderit pedes et crura aqua tepida vesperi lavare ; exinde enim sanguine deorsum lato pulmo liberatur, genus nervosum mulcetur, et somnus conciliatur. Praeter jam proposita, tussis molestior potu quovis glutinoso, veluti aqua, ex qua *althaeae officinalis* radix decocta fuit, sedabitur. *Opium* parum tuto datur, nisi jam inclinata inflammatione, et praeparata ex *antimonio* semper ei accedere oportet. Si non licet amplius deplere, ob corporis rationem aliasve causas ; tamen arteriae concitatae, dolor et spirandi difficultas inflammationem nondum subactam arguunt, foliis *digitalis purpureae* uti opus erit. Omnia, denique, quae voces istae " *Regimen Antiphlogisticum*" complectuntur, summa ope ministranda, quo pulmonis inflammatio resolvatur.

FINIS.